

III.

Et quia re in tuto collocata, de vocibus non facile quis, nisi φιλόσοφος & litem movet: Idcirco sive Dialecticam, sive Logicam mecum nomines, sive alia quacunq; voce, à probatis authoribus recepta, denotes: modò mecum universam illam artem, quæ Rationis dicitur, eamq; adjuvat & perfectam reddit, intelligas.

IV.

Atq; hæc diversimodè solet considerari: nunc ἀπλῶς & ratione εἰσίας, ac internæ essentiæ: nunc ratione accidentium & affectionum, h. e. quatenus vel libris continetur, vel viva voce traditur: ut pro hac diversitate considerationis diversa quoq; proferrî possint.

V.

Cùm verò Logices, ut & aliarum disciplinarum, natura in his tribus primariò consistat, ut nempè verum & proximum genus, finem & subiectum, ex quo is dependet, intelligamus: Ex hisce namq; vera cuiusq; rei definitio emergit, quæ ipsam rei essentiam exprimit: quid in hisce omnibus (salvo aliorum iudicio) veritati proximum & magis consentaneum sit, considerabimus, ac libere ponderabimus.

VI.

Ac primò quidem, genus eius quod attinet, diversæ sunt diversorum de eo authorum sententiæ: è quibus illam constanter reijcimus, quæ vel scientiam, uti vox hæc ab Aristot. 6. Ethic. c. 3. accipitur, vel δυνάμιν, vel sapientiam, vel intelligentiam, vel prudentiã Logicã definit.

VII.

Quòd Logica non sit talis scientia, vel inde patet: quia, cum scientia sit rerum ἀπλῶς necessariorum & æternarum, animumq; ἀμεταπίπτου reddat; Logicæ tantùm contingentiã tractat: quæ sub scientiã non cadunt; neq; de subiecto necessario proprias affectiones demonstrat.

VIII.

Neq; δυνάμιν verum esse proprium & genus inde concludimus; quòd hæc vox omnes disciplinas docentes, tam eas, quæ ἐν θεωρεῖν, quàm quæ ἐν πράττειν versantur, complectatur: quod non ὅλως possit contrarium: quòd Demonstrationē, quæ potissima Logices pars, omittat.

IX.

Neq; porrò sapientiam, neq; intelligentiam, neq; prudentiam, vera posse